

Ex quo primò inferitur, quòd postquam mulier, soluto matrimonio, habuit & recuperavit, prædictas res dotales, potest eas liberè alienare; cum cessent ratio prohibitiva & fundamenta superiora. Confirmatur, quia hæreditas post apprehensionem amplius non est hæreditas, sed bona propria hæredis, ut in leg. Sed in plures. §. Filio impuberi. ff. de Vulg. & pupil. cum similibus. Secundò inferitur, quòd prædicta sententia & conclusio procedit, quando matrimonium solvitur morte viri; secus verò si morte uxoris; quia tunc indistinctè possunt hæredes vendere & alienare res dotales ante apprehensionem & recuperationem, vel post, & approbare & ratificare alienationem antea factam: ita Socin. in dict. Rubric. ff. Solut. matrimon. & ibi alii Moderni. Tertio infero, quòd si mulier jurat, valebit & tenebit contractus, venditio, & alienatio rerum dotalium, soluto matrimonio, sicut antè valeret: text. in cap. Cum contingat, de Jurejur. & in cap. Licet mulieres, eodem tit. lib. 6. Advertendum tamen est, quòd prædicta procedunt & habent locum quoad alienationem: secus verò quoad successionem in dote, vel quoad alia; quia habent etiam locum in dote, soluto jam matrimonio & possessione recuperata & apprehensa. Ex quo inferitur, quòd si cavetur lege vel statuto, quòd mulier teneatur relinquere dotem suam filiis utriusque matrimonii, vel aliis personis, æquis portionibus; procedit & habet locum, etiam si talis mulier decedat & moriatur vidua, & soluto jam matrimonio, & recuperata apprehensa possessione: ita singulariter determinat Bald. in leg. 1. in fin. Cod. Unde vir. & uxor. Joan. Campegi, in tract. Dotis. 1. part. 3. quest.

60. Item quæro, an fidejussor qui intercessit pro re dotali vendita, teneatur & efficaciter obligetur, re evicta per mulierem, vel ejus hæredes? In quo articulo vera resolutio est: quòd si mulier vendidit vel alienavit, non tenetur nec obligatur fidejussor; quia principalis contractus est nullus, & ex eo non oritur aliqua actio vel obligatio: Primò quia cum lex resistat alienationi & impediatur translationem domini, tacitè videtur prohibere & impedire obligationem civilem & naturalem: quia prohibito actu consecutivo, in consequentiam videtur prohibitus omnis actus, per quem pervenitur ad illum, argumento text. in leg. Oratio. ff. de

(A) Ut tenet Bart. in leg. Cum lex num. 4. de Fidejussoribus in leg. Gallus in princip. numer. 16. & 17. & sequent. Baez. de Non meliorandis, cap. 35. num. 5. ubi hic limitat: nisi fidejussor suscipiat in se periculum, & affirmet nihil contra legem fieri: quam etiam ampliacionem proponit Menchac. Controvers. usufrequentium, cap. 10. num. 7.

Sponsal. text. in leg. Si ad resolvendam, Cod. de Præd. minor. Sic impeditur utraque obligatio, tam civilis quàm naturalis; ergo nullo modo tenetur fidejussor. (A) Secundò, quia aliàs, si actus vel contractus mulieris valeret, & fidejussor remaneret obligatus, posset postquam solveret agere contra ipsam mulierem, & per indirectum auferretur ei privilegium, quòd habebat in rebus dotalibus. Si verò maritus vel extraneus venderet rem dotalem, & fidejussorem præstiterit, uterque tenetur, tam principalis quàm fidejussor: quia in re aliena bene valet venditio, & contrahentes personaliter obligantur ad interesse, ut in leg. Rem alien. ff. de Contrah. empt. Tertio, quia tantùm favore mulieris est inductum privilegium in alienatione, non verò favore alterius. Et ista eadem distinctio & resolutio fit & habet locum in re immobili minoris, quæ non potest alienari sine decreto; quia si minor vendit cum fidejussore, nullus tenetur; si verò extraneus, uterque tenetur ad interesse. Pro qua sententia & resolutione facit text. in leg. Et suis, Cod. de præd. minor. ubi habetur, quòd si curator, finita cura, alienavit prædium minoris, & dedit pignora vel fidejussores, valet obligatio: & in expressò ita tenet & declarat Bartol. in leg. Cum lex. ff. de Fidejuss. fin. col. & quest. ibi Paul. 2. col. & communiter DD. Bald. in l. Prædium, Cod. de Jure dot. 2. col. in fin. num. 5. & ibi alii DD. Cin. Alber. Bald. Salyc. & communiter DD. in dict. leg. Si is, Cod. de Præd. min. Abb. in cap. Cum contingat, de Jurejur. 1. col. n. 2. & ibi Ant. penult. col. num. 15. Anch. fin. col. & quest. Joan. de Imol. in 11. col. n. 17. & 18. qui dicit hanc esse communem opinionem: Plat. in §. 1. Instit. quibus alienare licet vel non, in fin. Fabius de Monte: in tract. de Empt. & vendition. 61. quest. princ. circa §. Circa 12. versio. ult. est explicanda q. notabilis & difficilis.

61. Item quæro; si maritus vendidit vel alienavit rem dotalem sine consensu & juramento uxoris, & postea soluto matrimonio vindicetur ab ipsa uxore vel hæredibus, an maritus teneatur de evictione ad pretium & totale interesse? Et breviter & resolutivè dico, quòd si emptor fuit ignorans, maritus tenetur de evictione; quia licet contractus super re dotali sit nullus & reprobatus favore mulieris, non tamen favore mariti, vel alterius extranei; & ideo efficaciter re-

remansit obligatus; sicut quando alienam rem vindicaret: argumento textus in leg. Rem alienam. ff. de Contrah. empt. textus in leg. Si emptione. §. Item si emptor; eodem tit. cum simili & in expressò ita tenet Specul. in tit. de Emption. & vend. §. 3. loco versicul. Sed in casu præmissò. Bartol. in leg. Cum vir. ff. de Usucap. & ibi Paul. de Castr. 1. column. num. 4. Joans de Imol. 1. column. 1. notab. & communiter alii DD. idem Bart. in leg. Cum lex. ff. de Fidejuss. 1. column. num. 2. Bald. Salycet. & communiter DD. in leg. Si prædium. Cod. de Jure dot. Faber. in §. 1. Instit. quibus alienare licet vel non: Si verò emptor fuit sciens, maritus tenetur tunc reddere pretium, & non tamen tenetur evictione ad totale interesse: argumento textus singularis in proposito, in leg. final. §. final. Cod. Commun. de legat. ubi habetur, quòd ille, qui emit ab hærede vel legatario sciente rem subjectam restitutioni, potest à venditore gravato consequi pretium; non tamen poterit agere de evictione ad interesse: & ad hoc notant & commendant ibi Glossa ordinaria, Odofred. Bartol. Cin. Petr. Alberic. Bald. Angel. Paul. Salycet. Jas. Corn. & communiter DD. facit etiam textus notabilis, juncta Glossa ordinaria, in Authent. res jam dictas. Cod. de Sacros. Eccles. ubi habetur, quòd si œonomus vel alter vendidit res Ecclesiæ, vel non valet nec tenet venditio, sed debet emptor eas restituere Ecclesiæ; & si fuerit sciens, pretium consequitur à venditore: ibi tenet Cin. & alii DD. Hostiens. in cap. Audientiam, in fin. de rebus Eccles. non alien. & ibi Anton. Anchar. & latè & notabiliter Joan. de Imol. 3. column. num. 8. Glossa in cap. Qui verò res jam dictas. 10. quest. 2. Confirmatur, quia sicut dolus præponderat culpæ, ut in leg. Item si obtrix. §. fin. ff. ad leg. Aquil. ita dolus majori; sed major est in œonomo vendente ratione officii: ergo, &c. Nec obstat text. in leg. Si fundum. Cod. de Evict. ubi ille, qui emit rem alienam scienter, nihil potest recuperare à venditore, nisi fuerit stipulatus: Quia procedit & debet intelligi, quando res est penitus aliena; secus si propria vendentis, licet subjecta restitutioni. Nec obstat etiam text. in leg. Quemadmodum. Cod. de Agric. & cen. lib. 11. ubi ille, qui emit rem prohibitam alienari, nihil potest consequi à venditore: Quia procedit & debet intelligi, quando simpliciter & absolute est de jure communi prohibita alienari; secus verò, si gratia & favore alleujus personæ particularis fiat prohibitio: Ergo si dicamus in nostro casu, quòd iste qui emit à marito rem dotalem subjectam restitutioni scienter, possit saltem repetere pretium, licet non possit agere de evictione ad totale interesse; & in expressò ita

Anton. Gomez, ad Leg. Taur.

tener Jacob. de Raven. in dicta leg. Cum vir quem refert Imol. 5. column. & istam opinionem ego tenerem in judicando & consulendo tanquam veram & æquam: Licet contrarium expressè teneat Joan. de Imol. in dicta leg. Cum vir 5. column. idem Imol. in cap. Cum eo. §. 1. de Jurejur. 12. column. nam. 20. argumento textus in leg. Si fundum. Cod. de Evict. & in dicta leg. Quemadmodum. Cod. de Agric. & cen. nec obstat secundum eum text. in dicta leg. ff. §. final. Cod. Commun. de l. quia ille est casus specialis in re subjecta restitutioni ab homine, in qua non est tacita prohibitio: nec obstat etiam Glossa in dict. Authent. qui res jam dictas. Cod. de Sacros. Eccles. cum simil. quia communis opinio est contra eam: imò quòd ille, qui scienter emit rem Ecclesiæ ab œonomo, vel alio, non possit recuperare pretium: & ita tenet Glossa ordinaria in cap. Ad audientiam de rebus Eccles. non alien. & ibi Innocent. Gofred. Anch. Joan. Andr. Flor. Cald. Abb. & communiter DD. Abb. in cap. Si quis Presbyterorum, eodem tit. final. column. & quest. & ibi magis communis opinio; Glossa in cap. Vulturana. 12. quest. 2. imò plus tenebat: quòd pretium non remaneret apud venditorem, sed confiscaretur: argumento textus in leg. Quemadmodum, juncta glossa supra alleg. Sed ego teneo primam opinionem in utroque casu, tam in emptore rei dotalis, quàm Ecclesiasticæ.

62. Item quæro, si mulier, constante matrimonio, de licentia & consensu viri vendidit vel alienavit rem dotalem; dato quòd venditio vel alienatio sit nulla, & possit constante matrimonio liberè revocari, an saltem soluto matrimonio, cum dos pleno jure pertineat uxori, confirmetur talis venditio vel alienatio? Et videtur quòd sic, argumento text. in leg. Cum vir. ff. de Usucap. ubi, si maritus vendidit rem dotalem, confirmetur venditio, si postea, soluto matrimonio, efficiatur dominus vel successor: & per illum textum ita tenet Glossa singularis & unica in leg. Conitante. Cod. de Don. & ibi notant & commendant Bartol. Alberic. & Angel. & reputat singularem Bald. Salyc. tenet etiam Cin. in leg. Si prædium. Cod. de Jure dotiam. 1. col. 2. quest. Specul. in tit. de Empt. & vend. §. Tertio loco, versic. Sed numquid potest confirmari, & illam Gloss. reputat singul. & unicam Joan. de Imol. in dicta leg. Cum vir. ff. de Usucap. 6. column. num. 4. idem Imol. in cap. Cum contingat, de Jurejur. 14. column. num. 22. Sed teneo contrarium, imò quòd venditio & alienatio sit omnino nulla, & non confirmetur soluto matrimonio, imò liberè possit mulier rem alienatam petere & revocare à quolibet possessore, modo emptor & possessor sit sciens, modo ignorans; quia

proprie hoc casu militat favor & privilegium mulieribus concessum in earum dotibus; quia constante matrimonio non tantum egent privilegio, cum maritus debeat sustinere onera matrimonii: item etiam, quia soluto matrimonio, non possit mulier expressam alienationem dotis confirmare, nec de re dotali disponere, antequam sibi fiat plena & realis restitutio, ut in leg. 3. vers. 1. & in leg. Etiam. ff. de Fundo dotali. & tenet eleganter Paul. & Modern. in Rubric. ff. Solut. matrimon. & dixi supra ista leg. Item etiam, quia mulier non tenetur de evictione, nec ad pretium, cum respectu ejus & ejus favore contractus fuerit nullus; ergo, soluto matrimonio, cum sit domina dotis & sibi pertineat, non potest contractus confirmari, nec per possessorem conventum impediri, nec aliqua exceptione vel retentione defendi: & in expresso ita tenet Joan. Imol. in dicta l. Cum vir ff. de Usu cap. 6. column. num. 4. idem Imol. in dict. cap. Cum contingat, de jurejur. 14. column. num. 22. Faber. in §. 1. Instit. quibus alienare licet vel non 2. column. num. 8. & ibi alii DD. Bald. Novel. in tract. Dotis. 7. part. princ. 11. limitatione. Nec obstat textus in dict. leg. Cum vir. Quia loquitur in marito, vel extraneo, cujus favore non est prohibita alienatio, imò valet & remanet de evictione, vel saltem ad pretium obligatus; idem confirmatur, si postea efficiatur dominus vel successor.

63 Item quæro, an maritus vel alienans rem dotalem possit eam vindicare constante matrimonio? Et videtur, quod non: Primò, quia nemo potest venire contra factum vel contractum proprium, etiamsi nulliter facit, non servata juris solemnitate: text. est in leg. post mortem. ff. de Adop. text. in l. Cum profiteris. Cod. de Revoc. donat. text. in leg. Per fundum. ff. de Servit. rustic. præd. text. in leg. 1. Cod. de Remiss. pig. Secundò, quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio: text. est in leg. Vindicantem. ff. de Evict. text. in leg. Excep. & in leg. Si ob causam, & in leg. Sive possessio. Cod. eod. titul. Sed his non obstantibus, contrarium est tenendum, imò quod licet possit, quia non venit nec agit nomine proprio & ad ejus utilitatem, sed uxoris. Nec obstant jura & fundamenta in contrarium superius allegata: Quia procedunt & habent locum, præterquam si factum vel contractus prohibetur favore tertiæ personæ, vel favore publicæ utilitatis principaliter, vel secundariò: ita probat text. notabilis in leg. Quemadmodum. Cod. de Agric. & censib.

(b) Vide Palac. Rub. latè in Rubr. de Donat. inter virum. §. 18. cum seqq. Dueñ. in regul. 121. Socin. in reg. 141. Gutier. de Juramento confirmatorio, 1. part. cap. 3.

lib. 11. & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. textus in leg. Jubemus. la. 2. §. Sanè, & §. Prædia. Cod. de Sacros. Eccles. & ibi Glossa ordinaria, & communiter DD. Nec obstat, quod maritus percipit fructus, & per consequens videtur, quod in revocatione contractus & rei alienatæ de ejus commodo & utilitate tractatur: quia etiam percipiat ad utilitatem uxoris & familiæ, pro sustentandis oneribus matrimonii: & in expresso ita tenet Glossa ordinaria in leg. vñ. §. Et cum lex. Cod. de Rei uxore action. in verb. Alienare, & ibi communiter DD. Glossa ordinaria in §. 1. Instit. quibus alienare licet, vel non, in verb. interdicit. & ibi Faber. & communiter DD. Bartol. Imol. & communiter DD. in leg. cum vir. ff. de Usucap. idem Bartol. & DD. in leg. Post mortem. ff. de Adopt. Joan. Imol. in cap. Cum contingat, de jurejur. 10. column. numer. 19. ubi notabiliter loquitur, & dicit hanc esse communem opinionem: Joan. Plat. in leg. 3. Codic. de Jure fisc. lib. 10. Et idem est in cetero nomo Ecclesiæ, administratore Civitatis, tutore, & curatore, & similibus; ita probant jura superiora, & tenent communiter DD. ubi supra.

64 Aliquando & quinto inter eos fit donatio simplex & inter vivos, matrimonio jam contracto: quæ vocatur donatio inter virum & uxorem: Pro cujus perfecta declaratione dico, quod talis donatio regulariter est nulla & prohibita: text. est in leg. 1. & per totum. Cod. eod. titul. text. in cap. fin. extrà eod. tit. text. in l. 4. & 5. titul. 11. part. 4. (b) Cujus ratio fundamentalis est. Ne mutuo amore invicem se spoliarent; istam rationem ponit consultus in dicta lege 1. ff. eod. titul. cujus verba sunt: Moribus apud nos receptum, ne inter virum & uxorem donationes valerent: hoc autem receptum est, ne mutuo amore invicem spoliarentur, eandem ponit & confirmat Consultus in leg. 3. eodem titul. cujus verba sunt: Majores nostri inter vir. & uxore. donationes prohibuerunt, amorem bonæ tum solis animis æstimantes, sumæ etiam conjunctorum consulentes, ne concordia pretio conciliari videretur, neve melior in paupertatem incideret & deterior ditior fieret, & istam rationem confirmat per pulchra verba & auctoritates Philosophorum antiquorum, refert Palac. Rub. in sua Repet. cap. Per vestras, fol. 15. column. 1. in fin. vers. Sunt & aliæ donationes. Confirmatur etiam, quia captus amore, æquiparatur furioso vel ebrio: Textus est juncta Glossa ordinaria, & communi opinione, in Authent. quib. mod. natur. efficit.

efficit leg. §. Illud collat. 6. text. in §. fin. Instit. de success. sublat. Et in tantum hoc est verum, ut non oriatur obligatio aliqua civilis nec naturalis ei, nec ei potest accedere fidejussor: text. est in l. 3. §. Sciendum, eodem titul. cujus verba sunt: Sciendum autem est ita interdictam inter virum & uxorem donationem, ut ipsa jure nihil valeat quod actum est: text. in leg. 5. §. Si uxor viri, eodem titul. ibi: Nec obligari mulierem vel fidejussorem ejus.

65 Adde tamen, quod talis donatio confirmatur morte donantis: quia, perseverando in eadem voluntate, videtur ei post mortem concedere; & sicut legatum vel fideicommissum inter eos relictum valet, quia cessat prædicta ratio, cum conferatur post mortem; ita ista donatio inter vivos morte confirmatur: text. est in leg. Cum hic status, in princip. & in §. 1. & per totam leg. ff. eodem titul. ubi Imperator Antonini oratione sua, quam in Senatu recitavit, hoc proposuit: cujus pulchra verba sunt: Cum hic status esset donationum inter virum & uxorem, quem ante retulimus, Imperator noster Antoninus, ante excessum divi Severi patris sui, oratione in senatu habita, auctor, fuit, ut aliquid laxaret ex juris rigore, & rursus in §. 1. ait oratio, fas esse, eum qui donavit potestatem: hæredem vero eripere forsitam adversus voluntatem supremam ejus qui donavit, durum & avarum esse, textus conditus ab eodem Imperatore Antonini. in l. 1. & in l. 3. Cod. eodem titul. text. in leg. Donationes quas parentes, eodem titul. Et in tantum hoc est verum, ut confirmetur etiam hæreditate non adita: ita probat text. in dict. leg. 1. Cod. eodem, & ibi notant Bartol. Bald. Angel. Salycet. & communiter DD. Ex quo inferitur, quod jus, vel facultas revocandi aliquem actum vel contractum, competens principali, non transit ad hæredes: idem etiam probat text. in leg. fin. in fin. Cod. de Revoc. donat. ubi disponitur, quod licentia vel facultas revocandi donationem propter ingratitudinem non transit ad hæredes: facit text. in l. Centessimis, §. fin. ff. de Verbor. oblig. cum materia: text. notabilis in l. Unum ex familiaribus. §. Rogo. ff. de leg. 2. ubi habetur, quod jus vel facultas eligendi non transit ad hæredes: facit etiam text. in l. 3. ff. de Servis exportandis, ubi probatur, quod facultas revocandi non transit ad hæredes: text. in l. Si hominem. ff. Mandat. text. in l. Omnimodo, Cod. de Inoffic. testament. ubi facultas exheredandi filium per ingratitudinem non transit ad hæredes. Nec obstat text. in l. 2. §. Ex his, de Verbor. obligat. cum simil. ubi actio vel obligatio activa vel passiva competens principali semper transit ad hæredes eam sua qualitate: item etiam jus & facultas declarandi transit ad hæredes, ut in l. Si stipulatus fuerim illud, aut illud. ff. de Verbor. obligat. & in leg. Illud aut illud. ff. de Actio. leg. Quia debent intelligi, quando jus ac facultas competit jure proprio & ad utilitatem propriam: secus vero, si competat ad revocandum actum vel contractum in præjudicium tertii; quia illud jus & facultas non transit ad hæredes, ut in nostro casu, & juribus supra allegatis.

Unum tamen est: quod ad hoc ut ista donatio confirmetur morte, requiritur traditio vera, vel ficta: text. est capitalis & expressus in leg. Papin. ff. de Donat. inter vir. & uxore. cujus verba sunt: Papinianus rectè putabat orationem divi Severi ad rerum donationem pertinere: denique si stipulanti spondisset uxori sue non putabat conveniri posse hæredem mariti, licet durante voluntate maritus decesserit, & ibi notant & commendant Gloss. ordinaria, Odofred. Bartol. Bald. Salycet. & communiter DD. Gloss. ordinaria in l. 2. Cod. de Dote cauta non num. & ibi DD. Imol. & communiter DD. in leg. Si divortio. ff. de Verbor. obligat. Anchar. in cap. fin. eodem titul. 2. column. 3. oppos. & ibi Canonistæ: & tradit latè Palac. Rubi in sua Repet. fol. 55. column. 4. versic. Adverte. Et adde, quod illa lex Papiniana, deberet esse post legem, cum hic status, quia aperte constat, quod est posterior in decisione, Ex quo videtur reprobanda sententia Azor. in Summa. Cod. eodem titul. in fin. qui dicit, quod imò donatio ista confirmatur morte, sine aliqua traditione; & quod text. in dict. leg. Papinianus, corrigatur per legem cum hic status. Quia aperte est falsum per suprascripta.

Adde tamen, quod talis confirmatio quæ fit post mortem, non retrahitur ut valeat a tempore quo fuit facta, & per consequens non censetur ab illo tempore transactum dominium, quia extrema non sunt habilia; licet quoad fructus medii temporis bene retrahitur: ita probat text. in leg. Si servus. ff. eodem titul. text. in l. donationes quas parentes, Cod. de Donat. inter vir. & uxore. & ibi Gloss. ordinaria in verb. Refertur, & communiter DD. & tenet notabiliter Gloss. ordinaria Bart. in leg. Sequens questio. ff. de leg. 2. & ibi Paul. & alii DD. idem Bartol. in leg. Si is qui pro emptore. ff. de Usu cap. 3. column. & ibi Jas. num. 22. Paul. de Castr. in leg. Talis scriptura. ff. de leg. 1. & ibi Modern. Advertendum tamen quod ista donatio confirmatur morte ipsius donantis, non vero morte donatarii recipietis donationem: ita probant jura superiora, & in specie probat text. in l. Cum hic status. §. Si mulier eodem tit. in fin. ibi: Si tamen donator prius decesserit, dona-

rio valebit, text. in l. A marito, Cod. eodem tit. text. in l. Etiam, eodem tit. text. in dist. cap. fm. extrà eodem, text. in l. 4. tit. 11. part. 4. Si autem ambo simul decedant, puta ruina, incendio, naufragio, vel quovis alio casu fortuito, bene confirmatur: text. est in l. Cum hic status. §. Si ambo. ff. eod. & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. Azor. in Summa, Cod. eodem tit. final. column. num. 32. Ex quibus infertur, quod ista donatio non confirmatur morte in tribus casibus: Primus est, si donator revocavit expressè: Secundus est, si revocavit tacite per aliquas probabiles & verisimiles conjecturas: Tertius est, si donatarius qui donationem recepit, prius decedat: ita probant omnia prædicta jura, & est text. formalis & expressus in dist. cap. fm. extrà eodem. Unum tamen est; quod dicebat Bartol. in leg. Cum hic status. §. Si maritus. ff. eodem, quod per solam penitentiam & verbalem revocationem ejus donatio non censetur revocata, nisi etiam revocetur traditio vel possessio à donatario: quod apertè est falsum & non tenendum per prædicta jura superiora; & in expresso ita probat text. in dist. leg. Cum hic status. §. At orat. versic. Penitentiam, eodem tit. & ibi communiter DD.

Advertendum etiam, quod omnia superiora habent locum & procedunt quando matrimonium valet & tenet de jure inter maritum & uxorem: secus tamen est, si matrimonium inter eos non valet nec tenet, etiamsi contraxerunt ignoranter; quia tunc ista donatio non confirmatur morte, sed indistinctè revertitur ad donatorem: text. est singularis & expressus in dist. leg. Cum hic status. §. Si quis sponsam. ff. de Donat. inter virum & uxorem, & ibi notant & commendant DD. & illum textum ad hoc reputat singularem Bald. in leg. Eam quam, Cod. de Fideicom. 6. column. num. 22. & Jacob. de Sanct. Georg. in leg. 3. in fin. ff. de Jure dot. text. in leg. Si ex voluntate, Cod. de Donat. inter vir & uxorem, & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. tenet etiam Anch. & communiter Canon. in dist. cap. fm. extrà eodem tit. Bald. Novel. in tract. Dotis 11. part. 10. membro.

66 Valet tamen ista donatio inter maritum & uxorem in casibus sequentibus: Primus est, quando non est mera donatio, sed venditio, permutatio, vel aliis contractus onerosus, & pretium æquipollet rei: secus verò aliàs; quia in eo quod remittitur, vel non æquipollet, reputatur donatio & non valet: text. est in l. Si sponsus circa vendit. ff. de Donat. inter virum & uxorem, & ibi communiter DD. text. in leg. Si donare §. fm. Cod. eodem tit. Secundus est, quando inter eos fit donatio causa mortis; quia

cessat ratio prohibitiva, & confertur in tempus mortis, quo unus potest alteri legare, vel per fideicommissum relinquere, & potest ad libitum in vita revocare: text. est in leg. Si cum servam, vers. fm. cum leg. seq. ff. de Donat. inter virum & uxorem, cujus verba sunt: Inter virum, & uxorem mortis causa donationes receptæ sunt à jure: quia in hoc tempus excurrit donationis eventus quo vir & uxor esse desinunt: & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. Ex quo notabiliter infero, quod si maritus & uxor ad invicem & reciproce sibi donant hoc modo & pacto, ut qui præmoriatur lucretur & habeat bona alterius per tempus vite suæ; talis donatio valet, & non est reprobata: Primo, quia videtur esse donatio causa mortis: Secundo, quia nemo fit pauperior, & per consequens cessat ratio prohibitiva: Tertio, quia propter vicissitudinariam & reciprocam conditionem mortis appositam in contractu, quæ potest verificari in uno vel in alio, non censetur aliquis eorum læsus, nec videtur reprobanda talis donatio, argumento text. qui est singularis & unicus in suo casu, in l. Fideicommissio, Cod. de Transact. & in expresso ita tenet Cin. in l. Si pater puella, Cod. de Inoffic. testament. & Joan. Pirthus in tract. de Mutua donatione, 7. vol. in fin. tract. 1. column.

Tertius est, quando fit inter eos donatio pro consequenda aliqua dignitate vel honore: text. est in l. Quod adipiscenda cum duabus seq. ff. de Donat. inter virum, & uxorem. Quartus est, quando fit ista donatio ex causa remunerationis alicujus muneris vel beneficii recepti: text. est in leg. Quod autem. §. Si vir, & uxor. ff. de Donat. inter vir & uxorem, cujus verba sunt: Si vir & uxor invicem sibi donaverint, & maritus servaverit, uxor consumpserit, rectè placuit compensationem fieri donationum, & hoc Divus Adrian. constituit, text. in leg. Sed & si lege, §. Consuluit. ff. de Petit. hered. text. in l. Aquilius Regulus. ff. de Donat. text. in leg. Si poter, §. fm. eodem tit. Ex quo infertur, quod si maritus senex vel ignobilis donat uxori suæ propter nobilitatem vel juventutem, valebit donatio; quia potius dicitur remuneratoria, quam simplex: & in expresso ita tenet Gloss. singularis & ordinaria in leg. Si voluntate, Cod. de Dotis promiss. quam ibi notant & commendant Bartol. & communiter DD. Moderni, maxime Jas. in l. Si divorcio. ff. de Verbor. obligat. Abb. ubi reputat singularem in cap. 1. de Adulteris; Socin. in l. 1. ff. Solut. matrim. 12. col. vers. Secunda conclus. sit. Palac. Rub. ubi plura cumulat, in sua Reper. cap. Per vestras, 17. fol. column. 2. cum 5. sequentib.

Quintus est, quando quis eorum non fit

pauperior, licet alter efficiatur ditior; puta, si renuntiavit hæreditatem, legatum vel fideicommissum sibi relictum, ut perveniat ad alium, qui est substitutus, vel ab intestato successurus; quia tunc valet & tenet, quia cessat ratio fundamentalis prohibitiva. (c) text. est singularis & expressus in leg. Si Sponsus. §. Si maritus, el 2. ff. de Donat. inter virum, & uxorem, cujus verba sunt: Si maritus hæres institutus repudiet hæreditatem donationis causa, Julianus scribit lib. 17. Digestor. donationem valere: nec pauperior fit qui non acquirit, sed qui de patrimonio suo deposuit: repudiatio autem mariti mulieri prodest si vel substituta mulier sit, vel etiam ab intestato hæres futura: simili modo, & si legatum repudiet, placet nobis valere donationem, & ibi notant & commendant Odofred. & communiter DD. facit etiam bonus text. in leg. Profectitia. §. Si pater. ff. de Jure dot. ubi habetur, quod si pater repudiavit hæreditatem vel legatum in favorem generis & mariti filix suæ, ut sibi quæretur, non dicitur dos profectitia, ut possit repeti soluto matrimonio: facit etiam text. in leg. Qui autem, ff. de his quæ in fraud. credit. ubi habetur, quod licet potest debitor repudiare hæreditatem vel legatum in fraudem creditorum, nec fit revocatio per edictum illius tituli; quia licet non acquirat de novo, tamen non diminuit patrimonium: text. est in leg. Cum oportet, §. fm. autem, Cod. de Bon. quæ lib. ubi habetur, quod licet donatio inter patrem & filium non valeat, tamen bene potest pater renuntiare usufructum quem habet in bonis filii in ejus favorem: & ad hoc notant & commendant ibi communiter DD. text. in leg. penultim. ff. de Collation. bonor. ubi, si pater illud quod post mortem tenebatur solvere filio, dedit & solvit in vita, non tenetur aliis fratribus conferre. Ex quibus infertur, quod uxor poterit renuntiare lucris quæsitis constante matrimonio in favorem mariti: & ita dico & teneo in leg. 60. infra his legibus Taur. ubi omnino vide. Nec prædictis obstat text. notabilis in leg. Magis puto. §. Si fundum. ff. de Rebus eorum, ubi minor, etiam cum autoritate tutoris vel curatoris non potest repudiare legatum rei immobilis sibi factum, sine decreto. Quia illud est verum in minore, qui non solum prohibetur non alienare nec diminueri patrimonium, sed etiam prohibetur desinere acquirere: jura verò prædicta loquuntur

quando quis solum prohibetur diminueri patrimonium: de quo articulo latius trado & dico in leg. 60. infra, his legibus Taur.

Sextus est, quando in tali donatione interveniat juramentum; quia tunc statim valet & tenet, argumento text. in capit. Cum contingat, de jurejur. & in cap. Licet mulieres, eodem tit. lib. 6. & in cap. Significante, de pignor. & in cap. Quamvis pactum, de pactis, in 6. & in Authent. sacramenta, Cod. Si adversus vend. & in expresso ita tenet Bartol. in leg. Si quis pro eo. ff. de Fidejuss. fin. column. in fin. & ibi alii DD. idem Bartol. in leg. Sejus Angerius. ff. ad leg. fal. fin. quæst. & ibi DD. præcipue Alexand. penult. column. Guiller. Alber. & alii DD. antiqui in l. Sed si possessori. §. Item si juravero. ff. de Jurejur. Bald. in leg. 2. ejusdem tit. fol. 12. column. 3. versic. Est etiam simile, &c. Joan. de Imol. & Modern. in leg. Si quis inquilinus, §. fm. ff. de legat. 1. Paul. de Castr. Jason & alii DD. in leg. Pacta quæ contra, Codic. de Pactis, Angel. de Pen. in pen. §. Mulier. ff. Solutio matrimon. Joan. Andr. in Addit. ad Specul. in tit. de Donation. inter vir. & uxorem. final. quæst. Abb. & alii DD. in capit. Cum contingat, de jurejur. præcipue Imol. ibi num. 89. idem Abb. in cap. fm. de Donation. inter virum, & uxorem. 1. column. quæst. 3. & ibi communiter DD. Cardin. in Clem. 1. §. Porro, de Jurejur. 5. quæst. Fed. de Senis notat in consil. suor. consil. 140. Alexand. 2. vol. cons. 8. column. 2. num. 10. Palc. Rub. in sua Reper. capit. Per vestras, fol. 31. column. 3. versic. Limita tertio, Roder. Suar. in Allegationibus suis, fol. 31. quæst. 3. princ. & ista est communis opinio.

Septimus est, quando quis eorum debet alteri in diem, vel ad certum tempus aliquam rem vel quantitatem, quia ante solvere potest; & licet illo medio tempore videtur gratis dare, tamen non attenditur, cum originalis causa vel temporis sit operosa, præcisa, vel obligativa: text. est in l. Sed si vir. §. Quod vir. ff. de Donat. inter vir. & uxorem, cujus verba sunt: Quod vir uxori in diem debet sine metu donationis in præsens solvere potest, quamvis commodum temporis retenta pecunia vir sentire potuerit, & ibi notant communiter DD. facit text. in leg. In diem. ff. de Condit. indeb. ubi habetur, quod licet ille qui solvit indebitum possit repetere, non tamen ille qui solvit ante diem vel tempus.

Octavus est, quando ista donatio fit inter

(c) Hanc sententiam tenet Alciat. in cap. Cum contingat, num. 108. de Jurejurand. receptamque testantur Gregor. in leg. 4. tit. 11. part. 4. gloss. 1. Duñ. reg. 215. ampliatione 2. Menchac. de Success. treat. §. 29. numer. 11. Covarrub. 2. part. Rab. de Test. numer. 10. & plures alii relati à Gutierrez. de Juram. confirm. 1. part. cap. 3. num. 3.